An Venenum in corpore humano generari possit?

VENENI vt varia est & multiplex acceptio, ita nec certa, nec vniuoca assignari potest definitio, communiter Venenum appellatur quicquid manifesta aliqua qualitate, vel quantitate, vel vtraque simul excedente admotum vel ingestum, calidi insiti robur & proprium hominis temperamentum labefactat, sic omnia quarto gradu calida vel frigida, septica & narcotica, qualitate venenosa dicuntur, veluti quantitate, quæcunque infrà quartum gradum, vel eodem ipso licet consistant, non nisi cum certa & determinata quantitate, ad cuius extensionem intenditur quoque insitæ qualitatis benignæ vel malignæ efficacia, vires suas exerunt, & mixto aliquam pernitiem inferunt; talia sunt, calx, apium risus, & opium, talia & alimenta omnia, quæ, quãtumuis εὔπεπτα sint ἢ εὔθρεπτα si largius quam par sit ingerantur, & à Ventriculo (cuius Chylosim non emendat hepatis hæmatosis) non probè coquantur, Veneni instar exitialia fieri asserimus: Quantitate & qualitate deleteria sunt, vehementia omnia & eradicantia medicamenta, siquidem non solũ congenita sibi malignitate, quam adiunctis Alexiteriis, & cardiacis aromaticis, Medicum quemque expertum & naturæ amicum, antequam propinat, corrigere opportet, maximum sumentibus facessunt negotium, tetro suo halitu, quin & nonnullis solo aspectu horrorem incutiunt, stomachum lædunt, nauseas strangulantes & vomitiones πολύχροας sæpè αἱματώδεις ingratissimo sapore excitant, non rarò syncopes formidabiles, nedum cardialgias, palmos & lypothymias, non sine adstantium & Medicorum ipsorum terrore, Veneni instar accersunt: sed, quod maxima est fundi calamitas, naturalem Vniuersi corporis Oeconomiam confundunt sæpissimê & subuertunt, dum funesta Hypercatharsi, quæ læsam partium irritatarum retentionem, non violentam duntaxat, vt plures autumant, insequitur attractionem, deficiente attrahenda materia, necessario deficiendam, laudabiles & necessarios vitæ sustinendæ succos vna cum vitiosis & inutilibus excrementis, quæ aggredi tantum deberent, certo cum vitę dispendio foras protrudunt.

ALIA est stricta & maximè propria Veneni significatio, qua res aliqua oculta suæ formæ proprietate, & tota, quod dicitur, substantia rei alterius toti substantiæ omnino aduersatur, eiusque formã οὐσιώδη clanculũ opugnat: atque istiusmodi, vt distinctionis, sic generationis duplex est ratio, vel enim externum est & extrinsecus aduenit ex variis mineris; nempe aut ex elementis infœlici syderum aspectu vel νοσηρῇ ἀπόκεισι, ex tetra motæ camarinæ vel vndequalibet expirante memphyti inquinatis, vel iisdem extra naturalem suam constitutionem disiectis, ab insolenti & inordinata quatuor anni tempestatum mutatione, quam τὸ θεῖον Hipocrateum interpretari & pro certissimis potentissimisque causis febrium, bubonum & antrachum pestilentialium, exanthematum, ecthymatum aliorumque penè omnium occultorum, sed epidemiorum imprimis morborum agnoscere cum Galeno nõ dubitamus; aut ex plantis, qualia sunt Opium, Napellus & Aconita omnia: aut ex feris, tale est virus Scorpionis, Phalangij, Viperæ, Canis rabiosi; aut denique ex fossilibus, talia sunt lapis Herculeus, scobs adamantinus: vel internum est Venenum & in ipsis humani corporis, maximi naturæ technasmatis, penetralibus proh dolor! producitur, frequentissimè ex insigni retentorum & putrentium omnium succorum, vtilium & inutilium, cacoëthia Cachochymiam subinde consequente, cuius infinita pæne est, sed communissima hęc soboles, Psora, Elephantiasis, Phthiriasis, Strumæ, Vlcera phagædenica, Cancer, Achores, Conuulsiones, &c. Non rarò verò à temperamento certarum partium, certo cæcoque modo & citra vllam putredinis notam, deprauato, exquo quidem veneno, mole exiguo sed viribus maximo, (causam non proportionatam ad materiam ideo vocat Auicennas) suscitatur tam decantata Medicis omnibus aura illa venenata, cui veluti proximæ & cõtinenti causæ tribuunt terrificas, in fœcundis etiam & benè menstruatis mulieribus, vteri suffocationes, peculiares in eusarchis & aliàs bene habentibus hominibus, vnius brachij, vel cruris, cæteris partibus integris, iectigationes, quassationes, repentinas gangrænas & sphacelos, sed maximè Vertiginem, Hemicraniam, Melãcholiam hypochondriacam, Epilepsiam idiopathicam ab ipso cerebro, & sympathicam, à ventriculo, liene, vtero, extremo pede vel manu ortam, luem ipsam Veneream, aliosque huiusmodi affectus occultæ malignitatis participes, & periodicè vt plurimum recurrentes: Quos omnes venenatos idcirco indigetant, quod consimilia, si non pejora, Plantarum, Ferarum & Mineralium venenis symptomata, in homine excitare, nec non similibus & tota forma agentibus Alexipharmacis, vt illa, perfectè curari soleant, Ergo

Venenum in corpore humano generari potest.

An in Cephalæa Arteriotomia celebranda? 13.

COLLOCAVIT natura quinque sensus externos & sensum communem in capite omnium corporis partium celsissima, veluti in specula, vnde tanquam fideles custodes & satellites imminentia & ruinam corporis minantia quæque pericula eminus aduertant & auertant, imprimis verò vt ἐντελεχείας, sedem suam & tribunal in ipso quoque capite obtinentis, tribus principibus functionibus, Imaginationi, Ratiocinationi & Memoriæ, quę sensuum externorum opera carere non possunt, ancillentur. Quæ causa est, vt capiti præter naturam affecto, reliqua membra compatiantur, & læsis sensibus externis animæ functiones labefactentur: vt autem triplex est capitis natura, membranarum, meatuum, & substantiæ; ita quoque triplicia Morborum siue Symptomatum capitis genera constituimus: alia quæ ipsam cerebri substantiam, alia quæ meatus, alia quæ membranas obsident: ac substantiam quidem attingunt proindeque rationem deprauant, Phrenitis, Delirium, Melancholia, Lycanthropia, Mania, item stultitia, amentia, ἀμνησία, sopor, veternus, catoche, lethargus & similia eiusdem deprauatæ rationis symptomata: Meatus verò occupant, Vertigo, Epilepsia, Ephialtes, Paralysis & id genus affectus, necessarium spiritibus animalibus in organa sensui motuique dicata meatum denegantes: Denique ipsas cerebri membranas seu menynges, quod exquisito sensu sint præditæ & illarum beneficio cæterę partes duntaxat sensibiles sint, inuadit omnis generis dolor h. e. tristis sensatio rei naturæ molestæ vel, quod malumus, tristitiæ sensoriis instrumentis impressæ, sensuique communi oblatæ perceptio, vti voluptas est blandus delectationis sensus; Porrò triplex est doloris capitis differentia, vel enim peculiarem quandam cranij portiunculam affligit & μονοπαγία Græcis, Arculano, sed barbarè, ὁμοπαγία, latinis clauus propriè appellatur, vel dimidium caput multos iam annos frequenter leui occasione exercet, & Hemicrania dicitur, vel denique dolor est inueteratus & consuetus totum caput occupans, & Cephalæa nominatur, nam Cephlalgiam pro genere ad quosuis dolores, ex febre, sole, potu, aut alia quauis de causa productos, non pro distincta aliqua doloris specie, agnoscimus.

ET CEPHALÆÆ quidem, cuius curationem hic instituimus, licet generales duas causas intemperiem & continui solutionem non reprobemus, nonnullas tamen alterius generis Cephalæam inducentes causas, haud temerè assignamus: putà vel induratum tuberculum, vel abcessum intra caluam aut diploida suppuratum & virus suum eructantem, aut vermem & (si Neotericis fides sit) Scorpionem propè apophyses mammilares, vt vult Arculanus, productum, vel denique inclusos & admixtos sanguini, tum venali, tum arterioso, sed maximè contento in arteriis per totam cerebri medullam intus & extra excurrentibus, inque temporibus potissimum micantibus, flatus & ichores omnis pepasmi incapaces, ex venenata quadam labe, ex peste, maligna febre, lue venerea & deleteria eiusmodi materia assumpta vel intus genita, quod in Melancholicis & Phlegmaticis plerumque contingit, conspurcatos: Quas omnes causas, atque adeo deploratissimos & ad αὐτοχειρίαν interdum cogentes dolores, si prorsus non abstulerint generalia remedia causæ antecedenti debita; tum euacuantia, vt sunt Pharmaca peccanti humori analoga, Hydrocatarctica, Phlebotomia ex vtroque brachio, vel etiã ex saphena, quæ aperta vacuat & reuellit simul, ideoque est in suppressione mensiũ, & hæmorrhoidum maxime vtilis; tum deriuantia, quæ quadãtenus etiam euacuant, cucurbitulæ leues & cum scarificatu humeris applicitæ, reuellunt enim quæ natibus vel coxis internis adhibentur, cauteria inio vel brachiis inusta; tum reuellentia, purgationes, clysteres acres, dorsi, femorum & tibiarum frictiones & ligaturæ fortes: si irrita quoque fuerint Topica coniunctæ causæ conuenienter adhibita, venæ rectæ siue frontis, iugularis externę & venæ narium appertio, Hirudinum pone aures & temporibus admotio, Phænigmus, & cauterium iuxta suturam coronalem in syncipite inustum si potissimum immineat oculis suffusionis periculum, Errhina, Apophlegmatismi, si dolorem non mitigent Embrochæ & fotus Hypnotica, Narcoticorum enim vt non tutus sic certis legibus eorundem conceditur vsus; si denique cerebri imbecillitatem, quæ assidua excrementorum ἐπιγενέσει Cephalæam fouet & auget, non emendent electuaria suaui sua & aromatica anathymiasi, vel etiam tota sua substantia non roborent Cephalica Alexipharmaca, quidni ad Arteriotomiam, vt ad sacram Anchoram, confugere licebit, cum & sine periculo Arteria temporalis secari & ex illa apperta flatus inclusi euaporari ichorosusque sanguis Arteriosus, defectu ventilationis præter naturam alteratus, proxima & continens Cephalææ causa, euacuari sine vitæ periculo possit, Ergo.

In Cephalæa Arteriotomia celebranda.

THEORICA.

Dantur morbi totius substantiæ.
An vir lue venerea non affectus mulierem inficere possit.
Spadones generare possunt.

ΕΥΚΑΜΦΙΠΑΡΑΔΟΞΑ

PRACTICA.

Allium in peste non proscribendum.
An Philtris concilietur amor.
Musica & Chorea morbi curantur.